

1713

P O L E M I C I

1714

que tutum est: utinam vero integre fuisset assignatus. Nam erat adhuc alius (Codex) ejusdem nominis, ad quem ille remittebat frequenter, qui deperit: quo dici non potest, quantum caruerimus ægre ad restitutionem. Nam multa non cobærebant, multa vetustate nimia erant abrasa, quædam sic scripta ab librario, ut nesciremus, quid vellent. Unde coacti sumus, ubi obscuriora erant loca, asteriscos in margine signare, ubi defuisset aliquid, vel desiderabatur, binos asteriscos. Nolimus enim temere aliquid vel abradere, vel inculcare, de quo prius certissimi non eramus. — Praeterea totum illum splendorem, quem vides, in capitum et librorum digestionem nos indidimus. Nam prius perpetua fluebat oratione &c. Splendorem certe Inscriptionibus Brunfelsianis conciliant intrusi Monachi, Sacerdotes Papistici, Papa Bestia cornuta &c. et per belle conspirant cum verbis Auctoris, quibus hic Caput nobis 29. Brunfelsio 28. claudit: *Nam puto coram christo ihesu deo piissimo quem summe obsecro et continue ut non me permittat decipi a malignis spiritibus, puto inquam humiliter me subiciens et eidem et ecclesie sue sacrosancte romane; ut ipsa uideat et iudicet omnia et singula que hic scribo vel unquam sum scripturus, Puto igitur quod hic posita de bestia de adoracione eius multa uel omnia concordent in tempore et numero et materia cum illis que ibi traduntur de locustis.* Ita re-

petit Auctor, quae supra in Praef. de Romana Ecclesia dixerat. At religiosus vir, qui professus erat nolle se temere aliquid vel abradere vel inculcare, aut fortasse jam ante illum Huttenus, totam illam περιποίησιν, quam caractere rotundo expressimus, aut abrafuit, aut subtrahit non sane magna ingenuitatis suae commendatione. — Quanquam porro Formula mox adlata, ut Codicem nostrum terminat, ita et ipsum Librum III. terminare videatur, multis tamen ille Capitibus in edit. excurrit. Quid vero Libro III. et IV. factum sit, haecenus ignoro, nisi quis dicat, eos idem esse cum Tractatu de Corpore Christi, qui edit. Opp. Hussi cit. T. I. p. 202. legitur, quamvis admodum succinctus sit. Comparet haec Lector ad ea, quae Codici DLII. adnotata sunt, et tum inter Matthiam Paris. et Job. Huseum discernat.

CCCCXXXVI.

Codex chartaceus boh. lat. 907 Sec. XV. Folior. 180. 4. non ab una manu perscriptus et rubricis enotatus sequentia complectitur: I. Duas Job. Hussi Epistolas, quarum prior latine redita extat Opp. edit. 1715. T. I. p. 72. num. 2. scripta sub ipsum illius abitum ad Concilium Constant. In hac Epistola legitur: *Agizt wipravilsem sie naciestu bez kleitu*, latine: *Et jam itineri me accinxi sine Comitatu vel Conductu*; quod, nescio qua fide, Interpres

1715

C O D I C E S

1716

Interpres dictae Editionis reddidit: *Ego proficiscar nunc cum literis publicæ fidei a Rege mihi datis; qui et alias verbis τὸ αὐτογεγάφει non satis inhaeret. Epistola altera prolixior hortatibus et doctrinis ad Suos referta Operum Hussi Collectores, ut videtur, fugit. Incipit illa post salutationis formulam: *Naymleyssye, sslysse zadošt vassy y prosspýech wbozyem zakonye, bobu dyekugi wradosťy &c.* Id est: *Dilectissimi, Audito desiderio vestro et profectu in divino foedere Deo gratias ago in gaudio &c.**

II. fol. 4. sequitur: *Reuocatio Zether de Crumpow facta in Præbaticz. Bohemice. Sacerdotem quendam Wenceslaum vir hic maledictis inceserat.*

III. fol. 5. Epistolæ IV. Quintyni, ut præfertur, *Scoticae Terræ Domini* e lingua Viro huic vernacula, in qua nomen il-

li *Folkbyerde* (Pastor Populi) fuisse dicitur, in *Bobemicam* conuersæ, quarum I. ad omnes Christianos, II. ad Episcopum *Glocestriensem*, ejusque Praelatos, III. ad Magnates, IV. ad proprium, aliosque Parochos dirigitur, ad disseminanda per *Bobemiam Wiclefi* Placita, Clerumque in invidiam vocandum peropportuna. Unde suspicio oriri possit, eas a *Pet. Paynio*, aliove *Hussi* adfecta confectas fuisse. *Folcardum* Monachum *Anglum*, et *Quintinum Scotum* Poetam novi; at ille Sec. XI. hic XIV. ineunte vixit.

— IV. fol. 12. *Loca Matth. 26. Pauli I. Cor. 11. Thomæ Aqu. P. III. Q. 76. art. 2. Cypriani ad Caecil. et ad Thibaritanos, demum Gelasii Papæ de Consecr. Dist. 2. rhythmis Bohemicis reddita, hoc Prologo:*

*Otazka nynie takowa byezi
Mezy swietskymi ytake knyzezi
Shusseli wsak wyernym krzestanom
Zenam swyetskym a nebo muzom
Zkalicha przigymati krew buozi
Czili gest to vstaweno toliko knyzezi.*

Quasi dicas, agitari nunc Quæstionem, utrum *Calix Dominicus* bibendus sit omnibus, an vero id fit *Sacerdotum* duntaxat *Institutum*. *Loca* porro ad adstruendam necessitatem adferuntur.

V. fol. 14. p. 2. *Job. Hussi* Epistolæ latinae *Constantia* datae numero XIX. partim integrae,

partim excerptæ, quæ in *Edit. Supracit.* a p. 79. ad p. 90. T. I. occupant locum 15. 19. 20. 16. 17. 22. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 38. 39. 40. 41. 37. Epistola enim 31. in *Codice* duas constituit, *octavam* nempe et *decimam*. Inserti sunt etiam hiulci illi *Verficuli:*

Littera

1717

P O L E M I C I

1718

Littera gausus respondeo capiti istud &c.

qui in *Edit.* leguntur p. 93. Ceterum Epistolae quaedam pleniores sunt in *Edit.* Utrum vero ordo earum ibi observatus, an in *Codice*, rector fit, alii dispiciant.

VI. fol. 24. *Responsiones ad articulos Magistri Johannis.* Id est *Hussi* Responſa ad Articulos ex ejus Libello de *Ecclesia* extractos, eique *Constantiae* exhibitos. Initium: *Ego Johannes Hus in spe sacerdos ihesu christi licet indignus &c.* Ut T. I. cit. p. 19. Series tamen Articulorum et ipsa phrasis non parum in *Codice* variat.

VII. fol. 34. p. 2. *Collatio sequens facta est coram Rege Hungariae tunc in maiestate presidente in Concilij sessione in Condemnatione M. Jo. Hus per episcopum ludens. (Laudensem Jacobum) olim Rome statutum et ex eo quia clericos - - in stabulo ordinavit. Scomma stabulum olens! Oratio jam relata Cod. CCCXXII. quem adi.*

VIII. fol. 36. *Tenor sententiae et condemnationis finaliter late et promulgate contra Magistrum Johannem Huss.* Extat in Actis Concilii *Hardtianis* et *Opp. Hussi* cit. T. I. p. 35. hoc initio: *Sacrosanctum Concilium generale &c. Teste veritate arbor mala &c.*

IX. fol. 37. absque inscriptione *Joh. Hussi* Appellatio ad Christum, prout habetur *Opp. T. I.* p. 22. hoc initio: *Quia do-*
Denis Codd. Theol. V. I. P. II.

minus omnipotens unus in essentia &c. Sed post verba: *aliena fecerunt pericula cautum*, e *Codice* inferre: *magistrorum Stanislai* (de *Znoyma*) *et Stephani palecz spoliatio et incarcerationio, qui in boemia pecunijs et alijs rebus volentes citati comparere sunt spoliati et Pisis incarcerationati et tanquam malefici nulla penitus audiencia precedente.* Quae cur in *Editio*ne non compareant, ignoro; notum tamen est, Duumviros hos *Hussi* adversarios fuisse. De eorum interceptione in *Italia* alibi dictum *Cod. DCCCCLXVIII.*

X. fol. 39. *Processus circa mortem et degradacionem Magistri Jo. Hus.* Incipit: *Item Anno eodem M^o CCCCXV die VI mensis Julij feria sexta post Procopij Nobiles domini Wenceslaus de Duba et Johannes de Cblum missi sunt a romanorum et hungariae Rege cum alijs quatuor Episcopis ad carcerem fratrum minorum Constantiae ad audiendam finaliter intencionem magistri Johannis Hus &c.* Narratio haec, si rem spectes, cum ea congruit, quae praemissa est *Edit. supracit.* Ubi tamen sub finem Relator ille ait: *Neque enim ab alijs accepi, sed ipse bis omnibus interfui, Noster subdit: que tam ex uisis quam que ex auditis clare didici.* Ceterum omnia a N^o. VI. haecenus indicata caractere perquam difficili exarata sunt.

XI. fol. 44. *Determinacio M. Jacobelli quod prostibularie et publicani*
K k

blicani sunt destruendi arcendique. Ita in calce. Initium vero: *Vtrum aliquid lege diuina prohibitum &c.* Itaque istud Exemplum plenius est altero Cod. DCLXIII. adlato, cui totum deest Prooemium.

XII. fol. 48. Sermo magistri *Jobannis Hus de pace.* Initium: *Dominus noster ihesus christus perfectus mundi redemptor &c.* Ut Edit. cit. T. I. p. 65. ubi additur: *quem etiam intendebat praedicare in Concilio Constantiensi.*

XIII. fol. 55. *Job. Hussi* Tractatus breues de decem Preceptis, *Expositio super pater noster, de Peccato mortali, de Matrimonio, de cognitione et dilectione Dei, de tribus Hostibus, de Penitencia, de corpore Christi,* prout extant T. cit. a p. 38. In Codice pauculis Glosfis bob. et germ. adpersi sunt. Ad calcem: *Scriptum finaliter sabbato ante Quasimodogeniti. Anno MCCCCXV.*

XIV. fol. 68. p. 2. *Contra coream seu corysantes. Item de habitu Sacerdotum. Item: Vtrum sacerdos nolens populo ministrare corpus christi sub duplici specie est seductor et hereticus. Item: de vero sacerdotio christi.* Adparatus potius Rationum et Autoritatum a quodam *Wiclefi et Hussi* Adfecta congestarum. Inter alia p. 92. *Et bene sic etiam ad utilitatem fidelium factum est, ut etiam in Slawonico missa legeretur. Et si idem desiderium in cordibus plebium iam mouetur, et verisimiliter eadem utilitas salutis plebibus proueniret, necessitate crescente*

posset in Bohemico propter multitudinem audiencium celebrari, vel euangelium et epistola et alia audientibus in Bohemico expresse legi. &c.

XV. fol. 96. *Quod non solum sacerdotes, sed etiam layci fideles uel quicumque alij christiani deum timentes debent bibere sacramentaliter et spiritualiter de calice preciosum sanguinem christi, patet primo ex euangelio saluatoris Matth. 26. &c.* Autor hujus Tractatus non exprimitur.

XVI. fol. 123. p. 2. *Tractatus Magistri Cunssonis de deuolutionibus non recipiendis. Incipit: Reuerendissimo in christo patri domino Jobanni sancte pragensis ecclesie Archiepiscopo, Apostolice sedis legato, Cuius Custos et Canonicus pragensis, V. P. indignus vicarius et decretorum Doctor minimus obedientiam debitam, et pro extirpacione ueprium et praeconsuetudinis ab inceptis nullatenus resilire &c.* Consuetudinem hanc verbis *Mandati Archiepiscopalis,* quod huic Tractatui insertum est, exponam: *reperimus consuetudinem in bonis ecclesie sponse nostre, quam paganicam reputamus, quod rustici censiti et subditi censuales, quos tamen liberos natura progeniuit, si sine liberis morerentur, bona eorum mobilia et immobilia, possessiones et iura non ad consanguineos uel heredes, sed ad mensam nostram sine distinctione qualibet ueniebant, et quod execrabile est, dum tales agerent in humanis, heredes instituere non valebant, ad pias causas quicquam*

1721

P O L E M I C I.

1722

quicquam donare non poterant per modum testamenti uel eciam inter uiuos. Hanc porro consuetudinem abolens praedicto Mandato egregius Praesul liberum facit unicuique in vita uel in morte de bonis suis cum ratione disponere, prout placet, Et si quempiam ab intestato uel herede non instituto mori contigerit, res sue, quibuscunque nominibus censeantur, ad consanguineos et cognatos proximiores liberè deuoluantur. &c. Quae cum legerentur coram quodam Magistro, improbavit is dicens: quod rustici sint Ribaldi et serui solum nudum usum habentes, quodque nullus eis deberet succedere; cumque Cunssō contra adduxisset Textum Num. XXVII. ubi statuitur de successione consanguineorum, reposuit Magister ille: quod ille textus non plus obligaret, quam de non comedendo suffocato et alia ceremonialia. Itaque contra eum calamum strinxit Cunssō memorabili hoc Libello, cuius dabo Capita. I. Quod Rustici et censuales in pragensi provincia sunt liberi et non serui. II. Quod ipsorum liberi et consanguinei usque ad septimam lineam masculi et femine, iure succedunt in eorum iuribus bonis mobilibus et immobilibus. III. Quod ex quo succedunt ipsis masculi et femine liberi et consanguinei &c. donare possunt in uita uel in morte. IV. Quod lex illa mosayca non est sublata, sed potius recepta. V. Quod consuetudo in contrarium est mala et corruptela. VI. Quod dicta consuetudo prescribi non potest.

Concludit: *Iccirco pater reuerendissime illam consuetudinem paganicam dampnabilem et erroneam euellatis, cum sitis positus, ut euellatis, edificetis et plantetis &c.* Archiepiscopum hunc fuisse *Johannem de Genstein*, qui a. 1396. munere se abdicavit, discimus e *Balbini Bob. doct. P. II. p. 176.* ubi laudatur *Cunssō* five *Conradus noster de Trzebowel*, proditurque ex alio Libelli nostri Exemplo nomen *Magistri* supra dicti. Fuit is nempe *Adalbertus Rankonis de Ericino* five *Iglavia* tunc Scholasticus Ecclesiae *Prag.* de quo jam alibi dicere me memini. Unde *Balbinus* cognomen *de Trzebowel* hauserit, nescio. In *Arnesti* Archiep. literis foundationis Cathedrae Theologicae ad an. 1349. a *Cl. Raph. Ungar* Dissertt. *Societatis privatae* T. VI. p. 213. editis inter postremos Canonicos legitur *Cunssō de Turnow*, qui fortasse Noster fit.

XVII. fol. 134. M. *Jacobi de Misa* Tractatus contra *Andr. de Broda* pro Communionem sub utraque Specie. Hic quidem ἀπειρεστος, sed relatus *Cod. DCLXII.* quem, si lubet, confule.

Ad compingendum praesentem adhibita est Membrana, in qua a. 1406. In *Monasterio sancte Anne* sito in *Wyezd* (*Augezd?*) *Pragen.* Dioc. Religiose domicelle *Elyzabeth priorissa*, *Byetka sacristana*, *Agnes senior*, *Ofka* et *Ela* et ceterae virgines Procuratorem suum constituunt *Fratrem Wenceslaum professum Monast. Beate*

1723

C O D I C E S

1724

Beate Marie virginis in Luna (Laun) in causa, quae inter ipfas et quendam Paulum de Zinnbergh coram Abbate Monasterij de Altouado (Hohenfurt) Pragen. dioc. Ordinis Cystercien. versatur. Dies XII. Jan. Testes Frater Paulus Professor Mon. sancti Clementis (O. P.) Civit. Pragen. sacre Theologie professor, Urbanus Ciuis Minoris Civit. Pragen. Johannes seruator ipsius Monasterij. Notarius Wenceslaus natus Wenceslai de noua pilzna, cujus etiam Signum adpictum.

CCCCXXXVII.

94^a Codex chartaceus lat. boh. Sec. XV. Folior. 384. 8. non una manu exaratus, et quondam noti Sacerdotis Wenceslai Rossii continet sequentia: I. Expositionem breuem *Symboli Apostolorum*, singulis Articulis adtributis singulis Apostolis, hoc initio: *Credo in deum patrem &c. Quod autem sic confiteri deum patrem et credere tenemur, obligat nos dictum ipsius &c.*

II. fol. 5. p. 2. Expositionem orationis dominicae, cui praenotatum: *Magister Hus sic scripsit in carcere.* Incipit: *Christianus debet scire orare &c.* et habetur T. I. Opp. edit. 1715. p. 39. f. Quid, si praecedens Expositio pariter illius sit?

Otazka nynie takowa byezi &c.

III. fol. 6. p. 2. Observata quaedam de *Fide, de Dimissione Peccatorum, de Abrenuntiatione temporalium, de Antichristo &c.* levis momenti, sed ex *Hussi* Scriptis, ut videtur, elicita.

IV. fol. 13. Narratio *bobemica* de Morte ejusdem, jam Cod. a nobis non uno relata.

V. fol. 26. p. 2. Expositio *Decalogi* incipiens: *Sequuntur X. Precepta.* Primo non est addita explicatio; itaque folium intercidisse puto. Explicatio secundi incipit: *Nota dupliciter peccamus contra preceptum istud. primo iurando mendaciter &c.*

VI. fol. 29. De *communione spiritali et sacramentali integra sub duplici forma panis et vini communitatem plebium concernente.* Infit: *Saluator noster dominus ihesus noui testamenti institutor &c.* Congeries locorum Scripturae et PP.

VII. fol. 41. De *Simoniam.* Infit: *Simoniam est studiosa voluntas emendi uel uendendi aliquid supernaturalis &c.*

VIII. fol. 49. Sententiae variae ex *Augustino*, et *Dicta* ethica lecta ex Antiquis.

IX. fol. 59. Loca *Matthaei, Pauli, Thomae Aq. Cypriani* et *Gelasii* ad probandam Calicis necessitatem rhythmis *bobemicis* reddita et jam Cod. praeced. indicata hoc initio:

X.